

PARS SECUNDA.

DE ACTU HUMANO PRIVATO.

Privatam vitam humanam ordinandi modum inquirentibus, officia varia et jura hominis exponenda sunt. Quumque illa excogitari possint in nostro mundo varia respectu Dei, et ipsius hominis agentis, et ceterorum hominum, imo et aliarum creaturarum inferiorum; haec ipsa erit divisio hujus Ethicae partis. At generaliora quaedam circa jus et officium praemittenda sunt; quapropter sit :

Caput I. De jure et officio generatim.

Caput II. De officiis erga Deum.

Caput III. De officiis erga seipsum.

Caput IV. De juribus et officiis erga alios.

Quibus addendum caput V de juribus et officiis erga animalia, plantas, etc. ideo non erit quia in capite I jam erit ostensum nulla ea vere existere.

Notare et hoc juvat, in tota hac parte de actu humano privato tractantes, nos nondum praesupponere organismum socialem, sive familiae sive civitatis, de quo in parte sequente ethicae agendum erit, sed solum factum naturale consortii humani, i. e. simultaneae coexistentiae multorum hominum in terra, abstrahendo a vinculo sociali. Quod sicubi supponetur, id non absolute, sed hypotheticum quid obiter notando fiet.

CAPUT I.

DE JURE ET OFFICIO GENERATIM.

Agendum hic erit separatim de jure, dein de officio; postea de utriusque comparatione.

Quaestio 1. De jure generatim.

Quaestio 2. De officio generatim.

Quaestio 3. De comparatis jure et officio.

QUAESTIO 1.

De jure generatim.

Propositio 52.

Jus recte definitur : potestas moralis inviolabilis.

Notiones. 1) Nomen *juris* usu satis communi multipliciter usurpatur, sed sensibus impropriis : a) de loco ubi judicat iudex, vel de actione coram eo, v. c. in jus vocare...; b) de sententia iudicis, v. c. jus dicere; c) de jurispru-

dentia seu scientia legum, v. c. juris consultus, juris doctor; d) de regula justi seu ipsa lege, v. c. jus naturale, jus civile...; e) de ipsa re justa et legibus conformi, v. c. jus facere.

2) Sed proprio sensu dicitur apud omnes : facultas aliqua specialis quam aliquis habeat libere se gerendi circa aliquid, quamque ceteri omnes revereri teneantur... Hujus conceptus apud omnes existentis notionem clare distinctam quaerimus.

Prob. Tria elementa tanquam essentialia juris definitio proposita exhibet; a. haec tria, eaque sola, sunt vere elementa essentialia juris; e.

Prob. min. 1 part. (potestas). Quoties jus aliquod alicui esse dicimus, intelligimus eum, juris istius ope, aliquid posse quod sine hoc jure ideo praecise non posset quia jus deesset; e.

Prob. min. 2 part. (moralis). Potestas quidem est lupo oves rapiendi, furi viatorem caedendi, spoliandi, vento arbores evellendi; a. talem potestatem omnes distinguunt tanquam mere physicam cui resistere, quam infringere liceat, ab alia potestate quae sit jus, quae sit alius ordinis, cui resistere non licitum sit; e.

Prob. min. 3 part. (inviolabilis). Contradictorium esset, ab ordine recto concedi alicui potestatem libere se habendi ad aliquid, et eundem ordinem non turbari si facultatis illius exercitium ab aliis impediatur; a. ita impedi posset si facultas non inviolabilis esset; e.

Prob. min. 4 part. (ea sola). Quidquid ultra addi posset definitioni, aut respiceret juris subjectum, aut terminum, aut fontem, aut objectum, aut aliquam divisionem et speciem particularem, aut condiciones exercitii; a. haec omnia non sunt juris essentialia elementa, sed ex iis concludi possunt; e. (N. B. Haec singula paulatim infra).

Coroll. 1^m Ergo jus connotat semper existentiam, saltem possibilem, aliorum, quorum voluntates lege devinciantur non obsistendi aut etiam obsequendi.

Coroll. 2^m Ergo *materia* seu *objectum* juris 1) est aliquid agendum, vel retinendum, acquirendum, habendum, quod aut a lege naturali praescribatur vel suadeatur, aut ab ordine rationis in nostri liberi arbitrii potestate relinquatur; — 2) est semper aliquid animo subjecti externum; nam quae sunt animo prorsus interna nullo modo possunt ab extrinseca vi impedi physice; a. jus, utpote importans obligationem aliorum non impediendi facultatis istius exercitium, supponit hanc impeditionem esse possibilem; e. — 3) reducitur ergo ad actiones externas subjecti, vel alterius, vel ad res proprie dictas.

Propositio 53.

Subjectum et terminus juris sunt necessario entia intelligentia.

Notiones. *Subjectum* juris est illud ens quod instruitur hac potestate morali inviolabili.

Terminus juris est ens illud cui specialius incumbit obligatio reverendi facultatem moralem subjecti, sive ad eam positive conferendo operam, sive ab omni oppositione abstinendo.

Prob. Jus in subjecto est potestas moralis, orta ab ordine rationis et ab ipso concessa, ac certis limitibus circumscripta; in termino autem dicit obligationem moralem; *a* talis potestatis moralis et talis obligationis capacia non sunt nisi entia intellectu et libera voluntate praedita; *e*.

Ad min. Solus intelligens est capax sive cognoscendi quid sibi moraliter concedatur et intra quos limites, ac proinde illa facultate recte utendi; sive agnoscendi aliquam obligationem, eique se conformandi; *e*.

Coroll. 1^m Ergo nec bruta nec plantae vel alia corpora inferiora possunt illa jura habere, seu esse *subjecta* jurium; nec possunt *termini* jurium esse, i. e. nequit homo erga illa habere jura; possunt solum esse *objecta* jurium, i. e. res de quibus homo jure suo disponere possit.

Coroll. 2^m Ergo recte nomen *personae*, praeter generalem significationem de qua in metaphysica, etiam magis determinate significat ens juribus instructum, quod etiam dicitur ens *sui juris*.

Propositio 54.

Jus supponit factum aliquod a quo existentiam habet, quod dicitur titulus juris.

Prob. Omne jus aut est innatum homini aut est ei acquisitum; *a*. si innatum, existit vi ipsius existentiae hujus hominis, subjecti; si acquisitum, existit vi acquisitionis positivae; *e*.

Ad maj. Hanc divisionem jurium non affirmamus nunc tanquam realiter existentem, sed ponimus tanquam disjunctionem completam excogitabilem.— Eam suo loco, cfr. infra, affirmabimus et explicabimus.

Ad min. Haec existentia est factum aliquod reale huic homini concrete sumpto essenziale; — haec acquisitio positiva nequit esse nisi factum aliquod huic homini contingens, ipsique sive internum, v. c. actio libera, sive extrinsecum, v. c. mors parentis, injuria ab hoste illata.

Coroll. Improperie hoc factum a pluribus vocatur *fundamentum* juris; nam fundamentum jurium omnium unicum est ordo rationis potestatem inviolabilem moralem concedens.

Propositio 55.

Non omne jus est coactivum.

Notiones. 1) Varias sunt jurium divisiones communiter acceptae; scilicet a) in jus *personale*, i. e. quod adhaeret immediate ipsi personae subjecti, et jus *reale*, i. e. quod immediate adhaeret alicui rei a subjecto realiter distinctae, v. c. domui, agro.

b) in jus *naturale*, i. e. cujus titulus est ipsa humanae naturae concreta aliqua existentia; et jus *adventitium* cujus titulus est factum ab ea natura distinctum (cfr. infra).

c) in jus *perfectum* seu *coactivum*, i. e. cujus subjectum potest licite vim adhibere ad alios cogendos qui illi satisfacere renuunt; et jus *imperfectum* seu *non coactivum*, si subjectum vim adhibere licite nequit.

2) Haec facultas vim adhibendi est nova potestas seu jus quoddam priori juri accedens, idque complens ac perficiens in ratione juris.

Stat. quaest. Jura aliqua coactiva esse, vix ullus negat; sed aliqui negant aliqua jura esse non coactiva.

Prob. Omnis homo habet a natura humana jus quoddam primum personalitatis, quo constituitur potens facere quodlibet opus bonum, et independens ab aliis quoad procuracionem mediorum necessariorum ad finem suum ultimum eo modo prosequendum quo a Deo ordinatur; — *a*. ex hoc sequitur jus coactionis pro aliis juribus haberi, pro aliis non haberi; *e*.

Ad maj. Independentia illa ab aliis hominibus ex eo sequitur, quod Deus sibi reservat determinationem illius modi et gradus cuique homini imponendi, eamque non aliis manifestat, sed ipse operatur per varias causas secundas et circumstantias; nec proinde alii homines rerum istarum ignari sese in eas ordinandas immiscere possunt.

Ad min. Aliquorum jurium violatio importat negationem practicam aequalitatis naturalis hominum et juris illius primarii personalitatis; aliorum vero violatio non item eam importat; *a*. in prioribus solis erit jus coactionis; *e*.

prob. min. 1 part. (in prioribus est). Ut vere efficax sit illud jus primum, et independentia illa, necessario debuit natura etiam jus concedere ut, quoties ab aliis practice negaretur ac vi impediretur illa aequalitas et independentia, possit vis vi repelli; *a*. hoc est jus coactionis; *e*.

prob. min. 2 part. (in aliis non est). Ipsa coactio aufert alii independentiam et libertatem suam; *a*. haec ablatio licita esse nequit quoties non necessaria est ad conservandam aequalitatem naturalem (nam tunc haec coactio potius fit violatio juris primarii alterius); *e*.

Coroll. 1^m Jura *coactiva* erunt a) omnia jura primitiva, b) jus ne quis spoliatur bonis suis propriis nisi id ab ordine rationis exigatur, c) pleraque jura nixa justitia commutativa. — Jura *non coactiva* erunt a) fere omnia jura oriunda ex justitia mere distributiva, b) plura orta ex justitia legali, c) pleraque non nixa titulo justitiae. — N. B. Ista nunc indicantur; explicantur suo quaeque loco infra.

Coroll. 2^m Haec coactio, in societate constituta, non semper ab ipso juris subjecto exerceri potest; sed plerumque huic tantum competit *actio*, qua apud legitimam auctoritatem quod suum est requirat.

Propositio 56.

In collisione jurium, jus fortius praevalet : jura aequalia suspenduntur.

Notiones. 1) *Collisio jurum* est diversorum jurium concursus circa eandem materiam quae satisfacere omnibus non possit, unde usus unius juris usum aliorum jurium impediat.

2) Jura non possunt esse reapse contraria, quae in conflictum veniant; nam omnia a natura rectoque rationis ordine oriuntur; *a.* repugnat ut natura rectusque rationis ordo fundet contrarietatem talem ut componi et ordinari nequeat. Vox igitur *collisionis* est metaphorica, realiter enim est tantum jurium subordinatio.

3) *Jus fortius* seu *praestantius* illud est quod obligationem majorem imponit termino juris; haec autem praestantia ex eo oritur quod juris *materia* majoris momenti est, i. e. quod bonum obtinendum est majus, aut eo quod universalior est ordo a quo jus oritur et ad quem spectat, aut eo quod evidentiore et validiore titulo fulcitur; nam in jure haec tria sola variabilia sunt, cetera omnia ad naturam ipsam juris spectant quae semper eadem est.

4) *Jura aequalia* illa sunt quae nulla ex tribus modo dictis rationibus subordinari inter se possunt.

Prob. Jura quae colliduntur, nequeunt simul actu exercenda consistere; *a.* quae non simul actu exerceri possunt, non tamen propterea sunt totaliter in seipsis neganda; *e.* debent actu sibi invicem pro relativo valore cedere, ac proinde aequalia suspenduntur, fortius pro sua praestantia praevalent.

Ad min. Jus aliquod plene in seipso negari, seu perire nequit, quamdiu manet titulus ejus, et actualis ejus materia; *a.* titulum et materiam jurium manere, supponitur quum dicuntur jura collidi; *e.*

Ad cons. Hoc solo modo fieri potest ut singula jura non pereant, et agnoscantur, et quantum in concreto possibile est exerceantur pro suo valore.

Coroll. 1^m Ergo minime dici potest *jus fortioris* praevalere, sed *jus fortius*.

Coroll. 2^m Ergo jus quod ab alio jure aequali, vel fortiore colliditur, minime evertitur, sed ejus exercitium actuale impeditur ac suspenditur, quominus valide agat, donec collisio cesset.

Coroll. 3^m Ergo multum differt collisio jurium a collisione titulorum; nam jura collisa sunt et manent vera et certa jura, licet actu suspensa efficacitate; sed tituli collisi sunt incerta facta, veritates jam non evidentes, ac proinde nullum mentis assensum necessario exigentes, nec jam per se capaces ut jura fundent.

Coroll. 4^m *Bonum commune melius est bono privato*; seu : *bonum quanto communius, tanto divinius*.

Scholion. Omnia jura humana sunt limitata intra certos terminos, qui definiuntur : *a)* ex natura ipsius objecti circa quod jus versatur; *b)* ex aliis obligationibus quibus subjectum juris astringitur, nam nequit esse jus ad id quod contra certam obligationem esset, scilicet ad malum.

QUAESTIO 2.

De officio generatim.

Propositio 57.

Officiorum relativa gravitas oritur ex altiore potestate, ex graviore materia, ex validiore motivo.

Notiones. 1) *Officium* in abstracto dictum est obligatio aliquam actionem praestandi vel omittendi; — in concreto seu materialiter sumptum est ipsa actio ex obligatione praestanda vel omittenda.

2) Aliqui officium definiunt : obligationem praestandi vel omittendi aliquam actionem *in bonum alicujus*. Hunc respectum ad bonum alicujus addunt, non quidem falsum sed inutile dicentes, quum tamen deesse non possit.

3) *Officii materia* seu *objectum* est ipsa actio praestanda vel omittenda; — *subjectum* non nisi aliqua persona esse potest, quae obligetur; — *terminus* est ens in cujus bonum actio fit vel omittitur, seu est finis cui proximus; — *titulus* est factum quo posito illico enascitur in subjecto obligatio.

Prob. Officiorum relativa gravitas, seu praestantia, oriri debet ex aliquo eorum requisito essentiali et quod gradus admittat; *a.* talia requisita haec tria, eaque sola, sunt; scilicet officiorum causa (potestas obligationem imponens), materia (actio efficienda), motivum seu finis obtinendus (ordo aliquis servandus); *e.*

Objic. 1^o Addi potest quartum : terminus, requisitum essentiali et cujus dignitas, indigentia, etc. gradus admittunt. — *R. d.* terminus, qui quatenus est requisitum officii, seu quoad influxum in obligationem, reducitur ad materiam officii, vel ad ejusdem motivum, *c*; secus, *n.*

Objic. 2^o Addi potest titulus! — *R. n.* (is quatenus influit in officium, debet certus esse, et influit per solam suam existentiam; ergo aut est, aut non est, sine gradibus).

Propositio 58.

Non omnia officia sunt juridica.

Notiones. Varias sunt officiorum divisiones communiter receptae; scilicet, *a)* in officia *positiva*, de actione praestanda, et officia *negativa*, de actione omittenda;

b) in officia *naturalia* seu *innata*, quorum titulus est ipsa natura humana, et officia *adventitia*, quorum titulus est factum aliquod huic homini superveniens;

c) in officia *juridica*, quibus respondet in termino jus exigendi praestationem officii, et officia *non juridica*, quibus hoc jus non respondet.

Stat. quaest. Hanc ultimam divisionem aliqui non agnoscunt, dicentes omne officium esse juridicum.

Prob. Ideo aliqua officia sunt juridica, quia sine laesione sui termini negligi non possunt; *a.* praeter ea sunt et alia officia quorum neglectio nullam termino laesionem importat; *e.*

Ad maj. Ideo lex uni obligationem imponit, aliquam actionem faciendi in bonum alius, quia eadem lex alii concedit facultatem ne hoc bono sibi necessario frustretur, seu laedatur; *a.* haec facultas est jus correspondens in termino officii, facitque officium juridicum; *e.*

Ad min. Lex naturalis multos actus praecipit mere internos, vel mere personales etsi externos, vel merae beneficentiae, vel benevolentiae; *a.* isti actus omitti possunt sine laesione termini; *e.*

Propositio 59.

Omnia officia respectu termini recte dividuntur in officia erga Deum, erga seipsum, erga alios homines.

Stat. quaest. Alia communiter accepta officiorum divisio est quam hic proponimus; sed eam aliqui rejiciunt ut incompletam quia non adduntur officia erga bruta, etc; alii ut falsam quia officia erga seipsum homo nequeat habere sed solum erga Deum et proximum.

Prob. Tot sunt officiorum genera, quot sunt termini ad quos respicere debet actio humana, tanquam ad fines ad quos ordo actionum dirigendus est; *a.* tales termini sunt Deus, ipse homo agens, alii homines; *e.*

Prob. maj. Quodlibet officium est obligatio aliqua ordinis servandi; *a.* omnis ordo actionum dependet a termino qui sit hujus ordinis finis et norma; *e.*

Prob. min. Omnia sunt a Deo creata propter Dei gloriam extrinsecam ut finem ultimum; — *a.* ex hoc sequitur 1) Deum esse terminum in actionibus humanis respiciendum tanquam finem simpliciter ultimum; — 2) hominem agentem tanquam finem ultimum secundum quid, scilicet finem omnium rerum inferiorum, quae non nisi per hominis actionem possint ad finem simpliciter ultimum concurrere, quae proinde per se ad bonum hominis ordinantur; — 3) homines alios tanquam finem ultimum secundum quid, eodem sensu et jure ac ipsum agentem, et independentem ab eo (qui nempe aequae immediate finem simpliciter ultimum attingere debeant); — 4) cetera omnia inferiora non esse terminos tanquam fines respiciendos, sed solum tanquam instrumenta et media hominum; — *e.*

Objic. 1° Officium est relatio; *a.* in relatione debent esse duo termini distincti; *e.* non potest homo habere officia ad seipsum. — *R. c. maj.* — *d. min.* in relatione reali, *c;* in relatione rationis (qualis hic in moralibus sufficit), *sd.* duo ratione distincti, *c;* realiter, *n.* (sequitur quidem haec officia erga seipsum non esse juridica).

Objic. 2° Omnes actiones hominis honestae tendunt ad gloriam Dei extrinsecam, et ad ipsius agentis beatitudinem; inhonestae econtra; *e.* omnia officia erunt simul et ad Deum, et ad seipsum, nulla ad alios homines. — *R. d. ant.*

tanquam ad terminum immediatum et proprium, *n;* mediatum et communem, *c;* (sed per hunc nihil specificatur).

Objic. 3° Universae naturae inferiores et bruta sunt filiae Dei et sociae hominis; *e.* ad eas homo officia habet. — *R. d. ant.* proprie loquendo, *n;* poetice, *c.*

Inst. Certe homo tenetur non cogere bruta animantia ad aliquid subeundum quod eorum sensili naturae adversetur (Ahrens). — *R. a) tr. ant.* — *n. cons.* (sequeretur bruta esse officiorum objecta et materiam, non vero necessario ea esse terminos). — *R. b) n. ant.* (sunt media quibus rationabiliter pro sua utilitate homo utatur). — *R. c) tr. ant.* — *n. supp.* (hoc ita esse ex officio erga bruta; sed est ex officio hominis erga seipsum, v. c. ne crudelitati assuefiat).

Objic. 4° Possunt saltem homines se gerere erga bruta tanquam erga finem cui... — *R. d.* possunt, inordinate agentes, *c;* ordinate et ex officio, *n.*

Propositio 60.

Necessitas, sive hypothetica, sive absoluta communis, a nullo officio eximit.

Stat. quaest. Incipit inquisitio de exemptione ab officio. Hanc autem ab auctoritate competente concedi posse, et quidem talem tunc esse qualis concessa sit, nullam habet difficultatem; sed alia causa est *necessitas*; unde famosum effatum: *necessitas legem non agnoscit*, seu: *non habet*, nunc explicandum per plures propositiones.

Notiones. 1) *Necessitas* est impossibilitas officii sine imminentis alicujus mali periculo implendi. — Ejus occasione apparet quid lex officii ferat, seu utrum officium hic et nunc obliget, necne; et dicitur *jus necessitatis*, seu facultas eximendi se ab officio, orta ex necessitate.

2) *Necessitas* dividitur:

- | | | |
|---|-------------|--|
| } | hypothetica | — ea quae vitari jam non potest ex hypothese quadam, in qua quis se sponte constituit, et quam a se removere potest. |
| | absoluta | — ea quae independentem a nobis nulla alia ratione vitari potest quam violatione officii. |
| | { | communis — si malum imminet consuetum, non magni momenti...
gravis — si malum imminet notabile, non spernendum...
extrema — si periculum vitae imminet, vel alius boni quod non inferius vita reputatur. |

Prob. 1^a pars (hypothetica). 1° Hanc necessitate agens libere producit et retinet; *a.* ita nullam habet impossibilitatem exequendi officii, nec ullam excusationem rationabilem; *e.*

Prob. 2° Hanc necessitatem semper posset agens officio cuilibet opponere; *e.* officium quodlibet fieret irritum.

Prob. 2^a pars (absoluta communis). Aliquod incommodum in nostra prae-